doneus, Amatus, Valeriola, Cabrolius, Ballonius, Faber, Lommius, Tulpius, Riverius, Salmuth, Bartholinus, &c. Tantorum virorum igitur veſtigia premens haſce lucubratiunculas etiam in lucem edo, meliora parans, ſi bene accipiantur.

PETRI BORELLI MEDICI REGII CASTRENSIS, HISTORIARUM ET OBSERVATIONUM RARIORUM Medicophyſicarum, Centuria II.

Vomitus bilis bullientis inſtar aqvæ fortis.

OBSERVATIO I.

QVi ante nos fuerunt, multum qvidem egerunt, ſed non peregerunt, multum adhuc reſtat operæ, multumqꝫ reſtabit; neqve ulli nato poſt mille ſecula præcidetur occaſio aliqvid adhuc adjiciendi, dixit optimè Seneca. Naturæ enim perſcrutatio occupatio inexhauſta eſt, novumqꝫ aliqvod admirationis hominibus qvotidie præbet exemplum, ejusmodi autem eſt qvod ſeqvitur.

Novi doctiſſimum Medicum, ſimul & Mathematicum, Delphinatem D. Videl, cujus ſtoma-